DE SCARLATINAE EPIDEMIA

GRYPHIAE ANNIS HUIUS SAECULI LV ET LVI OBSERVATA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
GRYPHISWALDENSI
PRO SUMMIS
IN MEDICINA,
CHIRURGIA, ARTE OBSTETRICIA
HONORIBUS
RITE IMPETRANDIS

DIE XV. MENSIS SEPTEMBRIS ANNI MDCCCLVI
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
CAROLUS MOSLER
SILESIUS.

OPPONENTIBUS:
F. MUECKE, MED. CAND.
P. MEURER, MED. CAND.
R. RESS, MED. CAND.

GRYPHIAE,
TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. ACAD. TYPOGR.

FRATRI DILECTISSIMO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

Prooemium.

Dubius, de quanam re dissererem, nonnulla de perniciosa illa scarlatinae epidemia, ex qua juventutis Gryphiswaldensis haud exigua pars annis hujus saeculi LV et LVI laboravit, et quam observare mihi, auspiciis Ill. Haeseri, qui per annum directoris medici clinici vices gessit, et Ill. Niemeyeri, qui nunc ei clinico praeest,

contigit, exponere in animum induxi, non quo novam ejus curandae viam ac rationem monstrarem, sed quod quae et qualis fuerit paucis enarrare operae pretium esse videbatur.

Quicunque, quam multi pueri ac puellae vel florentissimae aetatis febri scarlatina confecti sint, viderit, is profecto, quae hujus morbi causae sint primariae, scire cupiat, etiamsi, rem dijudicare difficillimum esse, nemo non sanus intelligat.

Jam antiquissimis temporibus causas morbi in quibusdam, non satis definiendis, aëris viribus contineri doctis viris persuasum erat: valere ad morbum specificum quoddam miasma, quod certa quadam constellatione et coeli et anni tempestatum, ab epidemico et endemico morborum genio excitaretur. Quam sententiam plurimi quidem auctores secuti sunt, alii autem eas, quas modo diximus illius morbi causas esse negant, quum epidemias fuisse dicant, quae iis temporibus ortae fuerint, quibus neque illa constellatio tempestatum et alius morborum genius, scarlatinae gignendae non idoneus, fuerit.

In illorum numero sunt ii, qui veluti Schoenlein[1])

1) Schoenlein. Allgem. und specielle Pathol. und Therapie. St. Gallen. 1841. Bd. II. pag. 228.

et Fuchs[2]) contendunt, scarlatinam e morborum constitutione gastrico-erysipelatosa proficisci solere, praecedere autem plerumque minus explicatas hujus familiae formas, ut anginam erysipelatosam, parotidem, erysipelas ipsum, urticariam, erythema, alia, atque scarlatinam, ipsam exeuntem in simpliciores suae familiae formas transire.

Nobis tamen Lietzau optimo jure id bene animadvertendum esse dicere videtur, quod ante aliquot annos, quum constitutio morbi haud dubie maxime inflammatoria esset, totidem ac hodie solent homines febri scarlatina confectos esse observaverit. (Quid, quod exanthema morbi nostri symptoma, ut nonnullis visum, proprie non necessarium ad scarlatinam certo cuidam morborum generi adnumerandam, quocum illi praeter exanthema nihil sit commune idoneum esse volunt?) Neque raro usu venit, ut in una eademque regione simul cum scarlatina etiam catarrhum, morbillos, varicellas, variolam, laryngitidem crouposam, tussim convulsivam, typhum inveniamus, quorum morborum genius quin longe alius sit ac scarlatinae nullo modo dubitari potest. A Schoenleinii sententia non multum discrepat Dr. Schnizlein*), qui scarlatinam acutum bilioso-rheumaticum morbum aetatis proprium esse puerilis dicat.

---

2) Fuchs, C. H. Die krankhaften Veränderungen der Haut und ihrer Anhänge. Göttingen 1840. Th. 3.

*) Dr. Ed. Schnitzlein. Das Scharlachfieber, seine Geschichte, Erkenntniss und Heilung. München 1851.

A. Daehne[3]) vero scarlatinam nihil aliud nisi naturalem quandam cutis desquamationem esse sibi persuasissimum habuit, quae, corpore oleo infricto, siccitate et inflammatione deminuta, nullo negotio atque periculo perfici possit. Tum Brown et qui eum secuti sunt morbum nostrum febrim asthenicam, aeque fere comparatam ac sanguinem quasi venenatum typhosum esse voluerunt, quamobrem ad eam curandam et sanandam remedia stimulantia atque spirituosa adhibenda esse judicaverunt. — Contra alii, quo in numero sunt Berndt[4]), Wendt[5]), Pfeufer[6]) scarlatinam inflammationibus quas dicimus exanthematicis adnumerant atque methodo antiphlogistica utuntur. Denique Rokitansky[7]) scarlatina potissimum et morbillis repraesentari putavit crasin exanthematicam, quae universa dyscrasiae typhosae consimillima sit.

Omnes autem diversorum virorum diversae sententiae, quas enumeravimus, ita sunt comparatae, ut ex iis, quae scarlatinae propria vis, quae verae ejus causae sint nullo modo plane intelligi possit; nam in omnibus morbi definitionibus universales qui-

---

3) A. Dähne. Beitrag zur Cur des Scharlach - oder Häutungsfiebers. Leipzig 1810.

4) Berndt, F. Die Scharlachepidemie im Küstrinschen Kreise 1817—19. Leipzig und Berlin 1820.

5) Wendt, J. Wesen und Behandlung des Scharlachs. Breslau 1816.

6) Pfeufer, Ch. Das Scharlachfieber, sein Wesen und Bedeutung. Bamberg 1819.

7) Rokitansky, patholog. Anatom. Bd. I. pag. 540.

dem at prorsus obscurae notiones continentur, atque hoc unum omnium consensu constare videtur, primum scarlatinam semper fere esse contagiosam, deinde unum eundemque hominem nisi semel ab ea non tentari, denique eos tantum fere pueros atque puellas ex illa laborare, qui annum quartum decimum non excesserint. Rerum autem usus nos docuit, scarlatinae epidemias non semper aeque malignas fuisse, aegrotos nonnunquam nullis remediis adhibitis, morbo defunctos esse, quum aliis temporibus medicamenta, quibuscunque utebantur, prorsus ad irritum caderent.

Quamquam igitur medici nostrae urbis jam ante aliquod tempus scarlatinam singulis quidem casibus sese observasse referunt, tamen, si acta diurna instituti medici policlinici nostri sequimur, initium epidemiae ab mense Januario anni hujus saeculi LV petendum est, quo mense ineunte puerulus, extra urbem in via, quam dicimus insularem, hydrope universali affectus, glandulis cervicalibus tumentibus, nobis ad curandum tradebatur, id quod eo demum tempore evenit, quum ille jam in eo esset, ut animam efflaret. — Quamvis parentes pueruli se in filio exanthema animadvertisse praefracte negarent, tamen quin morbus ille nil nisi scarlatina fuerit dubitare non possumus, praesertim quum jam die XIV ejusd. mensis infans, exanthemate satis perspicuo praeditus, haud procul ab illius domo nobis afferetur. Inde ab hoc die pueri et puellae ex scarlatina laborantes non raro indicebantur; omnes autem in vicis,

extra urbem sitis, qui in meridiem spectant, habitabant. — Qua in re id sane mirum erat, quod in via una (Gützkowerstrasse) nemo nisi unus in morbum incidit, quum circa crebro juventus morbo implicaretur. Ultra regionem, quam diximus, morbus exeunte demum mense Aprili diffundi coepit, quo mense eorum maxime vicorum juventutem occupabat, in quibus utpote angustioribus et sordidis tantummodo fere homines ex plebe tenuiore habitabant. In quibus vicis numerandi sunt praecipue, quos dicimus Kapaunenstr., ad partem Langefuhrstr., Roth- et Weissgerberstr., Wallstr. et Papenstr., denique Hafenstr. et Rossmühlenstr. Animadvertendum est etiam, quod sub exitum epidemiae morbus iterum in illis vicis extra urbem omnium maxime creberrimus inveniebatur, ita ut ibidem finem haberet, unde initium ceperat.

Traditi autem nobis sunt ad curandum intra XV fere menses 235 aegroti, quorum 210 per totum morbi decursum, 25 autem in stadio tantum hydropico observandi potestas erat.

Ex illis 210, qui jam, quum ipsam scarlatinam haberent, in nostra cura erant, 46, alii prius alii postea, hydrope correpti sunt, ita ut 71 hoc morbo consecutivo afficerentur.

Ex omnibus his morbis malum exitum habebant 48, quum scarlatina plerumque propter anginam vehementissimam eaque, quae consequebantur, symptomata cerebralia 36 aegrotos, hydrops autem, maxime cum exsudationibus pleuriticis aut cum pneumonia conjunctus, 12 absumeret. Etiam nostra epidemia

satis superque docuit, verum esse id, quod omnes medici in nostro morbo observando experti sunt, morbum scarlatinae mirifice pestiferum, tantummodo fere aetatem puerilem petere atque corripere solere.

Ex octo aegrotis, qui adulta aetate erant, is qui maximus natu erat, annorum triginta quinque erat, ex iis autem, qui minimi erant natu, alter sex alter tredecim hebdomades natus erat. Anno autem

suae aetatis primo aegroti 21,
secundo „ 26,
tertio „ 26,
quarto „ 34,
quinto „ 31,
sexto „ 32,
septimo „ 10,
octavo „ 11,
nono „ 10,
undecimo „ 5,
duodecimo „ 5,
decimo tertio „ 3,
decimo quarto „ 5 aegrotaverunt.

Plurimi igitur morbi in quartum, quintum atque sextum annum inciderunt. Si forsitan intersit scire, quemnam sexum habuerint aegroti, is centum quinquaginta duos pueros et octoginta tres puellas fuisse sciat.

Quemadmodum autem unaquaeque epidemia sic nostra quoque modo lenior modo vehementior erat. Mense enim Januario a. LV 4,
Februario „ 9,

Martio	a. LV	11,
Aprili	„	10,
Majo	„	33,
Junio	„	37,
Julio	„	26,
Augusto	„	10,
Septembri	„	28,
Octobri	„	19,
Novembri	„	16 et
Decembri	„	7,
Januario	a. LVI	4,
Februario	„	2,
Martio	„	16,
Aprili	„	3

morbo affecti sunt.

Quum igitur epidemia tribus primis mensibus in singulis tantum casibus, at paullatim aucta, conspicua fuisset, vehementissime mensibus Majo et Junio grassabatur, ex quo tempore in dies diminuebatur usque ad mensem Septembrem, quo denuo ingravescere coepit atque vel mense Octobri et Novembri multos lecto affixit. Aliquanto autem mensibus anni praeteriti Decembri, hujus anni Januario et Februario minuebatur donec, postquam Martio mense denuo gravior fuit, exeunte Aprili plane exstingueretur.

Consumpti sunt igitur morte ex illis 235 aegrotis, ut supra diximus, 48, ita ut ex quinis infantibus singuli mortui sint. Quodsi eos, qui in nostra epidemia mortui sunt, conferimus cum numero eorum,

qui annis huj. saeculi XLIV et XLV Pragae [8]) atque iisdem annis Regimontii [9]) eadem epidemia consumpti sunt, illum multo minorem nostro, hunc autem eundem vel etiam majorem fuisse invenimus. Pertinebat enim epidemia, quae Pragae erat, etiam ad tales aegrotos, quos Dr. Löschner partim in nosocomio St. Lazari, partim privatim observandi occasionem habuit.

Si autem fatendum est, medicamenta apta et praecipue therapiam diaeteticam bonam saluberrime valere ad scarlatinam sanandam, dubitari non potest, quin ii aegroti, qui in nosocomio vel in domo locupletiore curantur, multo facilius morbo defungi possint, quam ii, qui infimo loco nati sunt et maximam partem mercenariis parentibus usi — nam tales fere tantum instituti medici policlinici curae sese commendare solent — saepe vix aliquem inveniant, qui iis, febris aestu vexatis, aquam praebeat. Quamobrem non miramur, quod Dr. Löschner ex 403 aegrotis in nosocomio receptis omnes praeter quinquaginta septem, ex iis autem, quibus privatim curando consulebat, omnes praeter sex in valetudinem restituerit. Contra Dr. Möller, cujus observationes pertinent ad scarlatinam in instituto medico policlinico, quod est Regimontii, curandam, ex suis 203 scarlatina tentatis aegrotis mortuos esse 46 refert ($4\frac{2}{5}:1$). Sed

---

8) Dr. Löschner. Der Scharlach zu Prag 1844—45. Prager Vierteljahrsschrift Bd. XI. 1846. p. 1—48.

9) Dr. Möller. Die Scharlach-Epidemie in Königsberg 1844—45. Archiv für physiologische Heilkunde v. Griesinger VI. Jahrgang pag. 535—578.

non raro evenit, ut tum demum auxilium ex eo peteretur, quum aegroti jamjam moribundi essent.

Jam mihi liceat, symptomata morbi maxime propria, quae non solum in ipsa scarlatina, sed etiam in morbis, qui illam sequuntur, conspiciuntur explicare, qua in re id maxime nobis agendum videtur, ut quo nostra epidemia ab aliis potissimum discrepet, doceamus.

Febris igitur universa epidemiae Gryphiswaldensis eo maxime constanter insignis erat, quod a primo initio cute flagrantissima eademque semper arida, deinde siti inexplebili, 140—160 et supra plerumque duros atque plenos pulsus ictus habebat, qui semper fere neque in ipso desquamationis stadio, neque si hydrops postea ortus erat, desierunt. Quae symptomata cum scarlatina ineunte tam arcte erant conjuncta, ut, quotiescunque nobis occurrebant, ex iis ut certissimis signis nullo vestigio exanthematis aut anginae reperto febrim scarlatinam dignosceremus.

Deinde si exanthema et ejus formas varias satis respexerimus, plerumque variegatam, non raro miliarem, rarissime laevigatam observavimus. Neque vero ullo modo ex forma exanthematis conjicere licebat, quem exitum habiturus esset morbus, neque intererat, utrum illud in toto corpore an in parte ejus tantum erumperet; ita ut fortuito accidisse credendum sit, ut forma miliaris semper fere prospere eveniret, quum eam in aliis epidemiis perniciosissimam fuisse compertum habeamus. Verumtamen conjunctio ecchymosium, quales quater in cruribus ob-

servavimus, cum exanthemate infausta esse videbatur. Quamobrem magnopere mirandum est, quod, quamquam in omnibus quattuor aegrotis cerebri symptomata vehementissima conspiciebantur, unus tantum morte consumptus sit, reliqui autem convalescerent. Exstinctio vero exanthematis subita, quae antiquitus omnibus fere auctoribus malum omen edidisse visa est, in uno tantum aegroto, quem quidem mortuum esse scimus, observata est. Deinde Moeller exanthema subito recessisse non animadvertit, quamquam saepe exanthema hodie sine ullo evanuisse periculo, cras autem rediisse, neque ullam valetudinis mutationem factam esse dicit.

Angina, qua nostra in epidemia omnes aegroti modo mitius modo gravius vexabantur, si lenissimis formis erat, ita erat orta, ut tela mucosa et submucosa regionis tonsillaris rubefacta turgesceret. Multo vero saepius tonsillae et pharyngis partes iis adjunctae, atque etiam velum atque uvula pseudomembranis exsudatione ortis tecta erant, quae nullo modo, nisi solutionibus argenti nitrici fere concentratis adhibitis, deleri poterant; quo facto accidit, ut ex partibus illis saepius sanguis flueret. Vehementissimam denique formam ea angina praebebat, in qua non solum ulcera gangraenosa et foetida exsudatione pharyngis diphtheritica effecta sunt, sed etiam infiltrationes, quibus nullae duriores inveniuntur, occupabant telam cellulosam cervicis, atque saepius, additis cerebri symptomatibus, mortem afferebant. Angina autem exanthemate carens, at, ut

in scarlatina quoque fieri solet, vomitu, doloribus circa artuum regionem, flagrantissima cute, febri vehementissima, denique ipsis deliriis praedita, in nostra epidemia nisi in hominibus aetate provectioribus et quidem sub illius finem non observata est.

Ubi res bene evenit, suppuratio erat apprime larga, ut intra paucos dies saepe complures incisiones abscessuum instituendae essent, neque tamen illa, nisi hydrope, praesertim in cavitatibus serosis adjuncto, vitam in periculum vocabat. Verum tales parotitides, quales Dr. Loeschner in decem scarlatinae casibus observavit, in quibus in telae cellulosae infiltrationibus vesicae natae, quum post duos vel tres dies apertae essent, ulcera gangraenosa, similitudinem nomatis referentia, efficiebant, in nostra epidemia non animadvertimus.

Symptomata laryngitidi crouposae similia, quae Loeschner se in quinque casibus lethalibus vidisse dicit, nos quater observavimus; semper autem comitabantur longe diffusam exsudationem pharyngis crouposam atque duorum puerorum mortem afferebant, quum ceteri, post vomitum pseudomembranarum crouposarum, quamvis tardi convalescerent.

Coryza, plerumque cum scarlatina conjuncta, nihil valuit ad prognosin, atque, quum secretionem foetidam et sordidam haberet, eatenus tantum, quatenus ipsa pharyngis diphtheritis, ex qua illa profecta erat, rem male eventuram esse nobis persuaderet.

Rarior scarlatinae comes erat conjunctivitis

catarrhalis, quam, quum ne minimos quidem dolores aegroto afferret, accuratiore observatione indignam judicavimus. Summam autem operam atque curam navandam esse putavimus cuidam scarlatina aegrotanti, cujus praeter modicam catarrhalem vasorum conjunctivalium injectionem oculo in sinistro corneam pulveris instar tristem conspeximus, in cujus parte inferiori parvulum ulcus erat, ex quo jam postridie perforato humor aqueus furtim fluebat. Quum autem symptomata typhosa vitae finem imponerent, malam oculi affectionem ultra persequi non potuimus. Quam Keratomalaciam rarissime observatam primus, quod equidem sciam, Prof. Fischer[10]) descripsit in morbillis; dicit autem, sese illam keratomalaciam ter observasse, quum exanthema subito esset exstinctum. Etiam Prof. Arlt[11]) keratomalaciam rarissime vidit, quam ob rem in libro suo de una scarlatina typhosa, cum illa oculi affectione conjuncta, accuratius exposuit. Atque quum aegrotus ille post septemdecim demum dies morte conficeretur, etiam oculi affectio planius describi potuit. Postquam autem octavo scarlatinae die keratomalacia oculi dextri initium cepit, decimo die pars corneae ita est perforata, ut integra membrana Descemeti vesicae instar ostenderetur. Quae quum jam postridie sese aperiret, una cum humore aqueo lens

---

10) Fischer. Augenheilkunde pag. 272.

11) Arlt. Die Krankheiten der Binde- und Hornhaut p. 211. Prag 1854.

crystallina et corporis vitrei pars defluebat; die deinde decimo quarto utraque cornea deleta erat, denique die decimo septimo inter comam et soporem aegrotus mortem occubuit.

Hujus oculi affectionis similis erat ea, quam in nostra epidemia puella viginti annos nata habuit. In hac enim puella, quum, scarlatina typhosa defuncta, convalesceret, subito post conjunctividem catarrhalem aliquot dierum keratomalaciam in oculi dextri parte inferiori animadvertimus, quae celerrime aucta jam post horas triginta sex perforata est, ita ut membrana Descemeti conspicua esset. Praeterea sinistri oculi cornea complures maculas ostendebat.

Quamvis autem otorrhoea saepius ad scarlatinam accederet, non raro a doloribus et symptomatibus inflammatoriis incipiens atque plerumque longum per tempus durans, tamen organi auditus functiones ab illa unquam male affectas esse non meminimus.

Cerebri porro functiones ab iis omnibus perturbationibus, quarum etiam ii, qui alias epidemias observarunt, mentionem injiciunt, non erant vacuae. In scarlatinae prodromorum stadio erant cephalalgia, vomitus quasi sympathicus, neuralgici dolores in extremitatibus praecipue artuum, quos nescio an hyperaemia, in eruptione exanthematis usque ad exsudationem in telam cellulosam subcutaneam aucta, effecerit, quoniam, quum exanthema evanuisset, artuum illi dolores desierant. Vehementiora tamen cerebri symptomata scarlatina ipsa ineunte rarissime

observata esse videntur, eademque in puerulo quattuor annos nato in ipsas convulsiones eclampticas transierunt. Atque etiam frequentiora erant, exanthematis eruptione facta, idque fere una simulque et cum processu anginae diphtheritico in tonsillis et cum infiltrationibus cervicalibus explicatis, ita ut saepe eandem prorsus, qua esse solent in morbo typhoso graviori, formam imitarentur. Insignes autem erant morbi casus, quos modo memoravimus, angina vehementissima, fuliginoso in lingua, in labiis atque gingiva velamento, odore foetido ex ore, deinde exanthemate raro, arida et flagranti cute, tum frequentissimo minimoque pulsu, tendinum jactatione, sensorio torpenti, denique saepe deliriis murmurantibus. Quum autem in pejus verterent, saepe non solum diarrhoea modo serosa cum multo ex epitheliis sedimento, modo vel sanguine mixta accedebat, sed etiam saepe decubitus in osse sacro et trochanterum in regione atque adeo furunculi in toto corpore sequebantur. Etiam lien, cujus volumen normale in singulari quodam casu duplicatum esse invenimus, quomodo in dies intumuerit in nonnullis aegrotis accuratius percussione cognoscere licebat. Ubi autem aegrotum ita affectum etiam insomnia vexavit, inde unusquisque infaustum vitae exitum prospicere posse sibi videbatur, atque revera aegroti, qui ex morbo evaserunt, tarde convaluerunt. Loeschner sese in epidemia sua tres tantum scarlatinae typhosae ejusmodi formas observasse dicit, idque vel ipso eo tempore, quo typhus ipse non rarus

fuerit. Neque mirandum videtur, quod Moeller et Kubik [12]) ex sectionibus, quas in ejusmodi scarlatina confectis instituerunt, in eam sententiam adducti sunt, quasi scarlatinae hujus simillima sanguinis depravatio cum typho sit.

Ab hydropis forma, quae in nostra epidemia febrim scarlatinam septuagies semel consequebatur, ea bene secernenda videtur, quae renum affectione caret, quamque Frerichs quidem ex paralysi nervorum cutis et telae cellulosae subcutaneae vasomotoriorum, tempestatum inopportunitate effecta, ortam esse putat, alii autem, velut Schnizlein, rheumatismum cellulosae nominant. Quae forma ut in nostra epidemia rarius observata, a nobis praetermittitur. Propositum est enim, animum intendere in pueros hydrope affectos, in quorum urina semper albumen, plerumque etiam cylindri fibrinosi inveniebantur, ita ut, quin renum affectio gravior exstitisset, non dubium esset. Nullo enim modo assentior Loeschnero, qui hydropem illum post scarlatinam ex renum affectione profectum esse negat, quique contendit: „Ich glaube annehmen zu müssen, dass eine secundäre Blutkrankheit, welche durch die Unterdrückung des nach der äussern Haut hingeleiteten Ausscheidungsprocesses aus dem Blute im dritten Scharlachstadium, nämlich dem Beginne oder Verlaufe der

---

12) Dr. Kubik. Bemerkungen über den Scharlach. Prager Vierteljahrsschrift, vierter Jahrgang. p. 62—83.

Abschuppungsperiode, entstanden ist, die Wassersucht hervorrufe.“

Quamvis autem nostra epidemia, quomodo fiat, ut post scarlatinam tam saepe morbus Brightii exsistere solitus sit, nequaquam nos docuerit, tamen id satis observasse nobis videmur, sententiam, quae plurimis probatur, hydropem semper nasci aut ex tempestatum inopportunitate aut ex curatione neglecta, infirmis rationibus niti, quoniam multi pueri, quos parentes nunquam non in lecto esse juberent, hydrope tentati sunt, alii autem, qui temere atque incaute tempestatum inopportunitati expositi essent, optima valetudine utebantur. Verumtamen facile concedo, verum esse, quod Kubik, idem ac nos expertus, contendit, in singulis quibusdam casibus tempestatum inopportunitatem in causa esse renum illius affectionis, siquidem morbum Brightii per se ipsum tempestatum inopportunitate moveri, omnes consentiunt. In nostra epidemia hydrops plerumque secunda aut tertia, rarissime prima hebdomade, quum exanthema evanuisset, exstitit. Ubi auctus erat, initium cepit ab vomitu et febri vehementissima, dum aegroti et urinae crebram cupiditatem et dolores in regione lumbali conqueruntur; urina ipsa erat exigua, saepe sanguinolenta, semper albumen, plerumque cylindros fibrinosos continens. In ipsa autem scarlatina albumen illud, quod praeter alios etiam Kubik se observasse contendit, nos in urina quamvis diligenter disquisita non invenimus. Neque vero semper hydrops ab vehementibus inflammationis symptoma-

tibus incepit; nonnunquam enim nihil nisi palpebrarum aut faciei oedema leve liberorum jam convalescentium valetudinis mutationem parentibus satis ostendebat, medicus autem, albumine in urina invento, quantum in periculum aegrotus adductus esset, bene intellexit. Quum ex pueris 71, qui hydrope correpti sunt, 12 mortui sint, nostrum hydropem, si cum aliis conferimus, perniciosissimum fuisse per se intelligitur, cujus rei causa nobis in eo posita esse videtur, quod creberrimae complicationes cum inflammationibus membranarum serosarum aut pulmonum infaustissime valerent. Ceterum nostra quoque epidemia comprobatur, quod jam alii auctores observarunt, ab hydrope non semper eos peti, qui vehementissima scarlatina correpti fuerint, sed multo saepius eos, in quibus aut lenissima tantum scarlatinae forma observata aut nulla fere inesse visa sit. Nam, ut supra diximus, viginti quinque liberi, in quibus omnibus parentes sese exanthema aliquod animadvertisse negaverunt, hydrope demum exorto, nobis ad sanandum traditi sunt. Ex duodecim, qui hydrope correpti, tres vehementissimis pleuritidum exsudationibus vel serosis vel purulentis, duo pleuropneumonia duplice rapide orta, ceteri septem hydrope universali gravissimo consumpti sunt.

Maximae autem curae nobis erat puella quaedam decem annos nata, quam praeter anasarca et ascitem et hydrothoracem etiam exsudatione in pericardio magna praeditam esse cognovimus, propterea quod percussione ultra cordis regionem sonum obtu-

sum invenimus, auscultatione in cordis systole pr primo ictu strepitum quendam audivimus. Qui strepitus in cordis apice lenis, in aorta et arteria pulmonali maximus, idemqne in secundum cordis ictum transibat. Rem vere ita se habuisse unusquisque intellexit, quum puella, ubi post aliquot hebdomades in valetudinem restituta in institutum medicum clinicum se contulit, praeter strepitum lenissimum cordis et ictum et magnitudinem prorsus normalem praebere animadverteretur. Quae in membranis serosis exsudationes, maxime in pleurae cavo, aegrotos, corde palpitante, gravissimis doloribus vexare solebant; nonnunquam autem remittebant ita, ut pueri animo hilari luderent. Albuminuria saepe per complures hebdomades durante, etiam hydraemia indies augebatur, quo facto aegroti, quum male cibos digererent et urinae secretio turbaretur, maxime collapsi, hectice confecti sunt. Una sectio, quam instituere nobis licuit, pulmonibus plane compressis, magnum empyema, quod tamen puella per complures hebdomades perpessa erat, ostendebat.

Quod attinet ad therapiam, ad aegrotos leniore scarlatina tentatos sanandos tum Nitratem kalicum vel natronatum, tum Ammonium carbonicum, nonnunquam etiam Acidum muriaticum usurpavimus et obstructiones, si quae essent, infuso Sennae composito sustulimus. Applicatio autem complurium hirudinum — nam venaesectiones nunquam institutae sunt — semper malam vim in universam valetudinem habere videbantur, certe ineunte epidemia, quum

hirudines X—XII propter cerebri symptomata gravissima applicatae essent, aegroti collabi atque morte consumi solebant. Neque omnino hirudines usui esse apparebat nisi colli infiltrationibus crescentibus aut dolore in renum regione paullo vehementiore. Etiam Calomelanos doses minores, quas Trousseau, symptomatibus nervosis incipientibus, maxime commendat, non sine utilitate fuisse videntur. — Deinde quum neque frigidas perfusiones, quibus James Currie, neque frigidas involutiones, quibus Creutzer et Priessnitz usi sunt, aegrotis recusantibus adhibere liceret, aegrotos aceto cum aqua mixto saepius lavandos curavimus, quae lavationes aegrotis gravissimo febris aestu vexatis non minimae levationi fuere. Maxime autem necessariam nos quoque putavimus diligentissimam aëris ventilationem et aquam aegrotis pro libitu praebendam.

Quod autem nonnulli auctores remedia anginae topice applicanda prorsus inutilia esse censent, nobis contra iis anginam multum minutam esse fatendum est. Nos enim spongia vel penicillo solutione Arg. nitr. (ʒβ—j et plus ad aq. destill. ℥j) tincto pharyngis exsudationem, pseudomembranis modo adhaerentem modo non adhaerentem, corrodebamus, quo facto accidit, ut exsudatio tolleretur. Quum autem aegroti propter colli intumescentiam os aperire non possent aut ex naribus secretum foetidum proflueret, solutiones Arg. nitr. minus acres per nares in eum modum infundebamus, ut, ubi in pharyngem adventabant, vomitu effecto cum secreto et pseudomem-

branis per os et nares effunderentur. Qua re maximam diligentiam atque dexteritatem postulante factum est ut aegroti liberius respirarent et minoribus anginae doloribus afficerentur. Utrum autem in tollendis colli infiltrationibus subito exortis ex hirudinibus et cataplasmatis, quae adhibebamus, aliqua utilitas redundaverit nec ne, est in ambiguo, quoniam complures subito mortui sunt. Ubi autem suppuratio orta est, incisionibus justo tempore et cataplasmatibus perpetuis institutis, res prosperum eventum habuit.

Prospere tamen in nostra epidemia sanatio morbi Brightii evenit. Quamvis enim paucis hirudinibus, quas in regione lumbali aegroti, vehementissimis doloribus vexati, applicuimus, hyperaemia in renes tolli non posset, tamen dolores illius semper aliquanto minutos esse animadvertimus. Ad bibendum plerumque nihil nisi Aqu. Selter. cum aequa lactis calidi parte mixtam porrigebamus, qua re, quum aegroti et multum et libenter biberent, facillime diuresis et diaphoresis effectae sunt, praesertim quum balnea tepida apparanda curarentur. In quibus balneis aegroti duodecimam tantum horae partem tenebantur, deinde cito detersi, pannis laneis vel velamentis involvebantur. Neque multum temporis interjectum est donec, circulatione sanguinis et respiratione mirifice sedata, saepe jam post horam pulsus viginti ictibus minutus et dyspnoea in respirationem fere normalem mutata esset. Pauci aegroti, qui Aqu. Selter. recusarent, ex Tartar. depurat. et boraxat. et ex Acetat.

kalic. nonnullam utilitatem percepisse videntur; Digitalis autem et Nitr., quae Moeller in epidemia sua maximo usui fuisse gloriatur, haud dubie nocuerunt, quamobrem Frerichs, ne in affectionibus renum inflammatoriis diureticis acrioribus utaris bene cavendum esse optimo jure statuere videtur. Atque purgantia mitiora, veluti pilulae antihydropicae Heimii et alia pilularum formae medicamenta in aegrotis, qui liquefacta renuerent, efficacia fuisse credimus. Neque tamen therapia tam bene evenisset, nisi suo tempore roborantia in usum vocavissemus. Quod ut faceremus, maxime permoti sumus iis, quae Moeller, Frerichs, Loeschner, ex sectionibus a se institutis experti, nobis tradiderunt; dicit enim Loeschner: „Bei den am Hydrops Verstorbenen zeigte sich das Blut sehr dünnflüssig, blass, die inneren Organe sehr blutarm wie ausgewaschen."

Quamobrem ad hydraemiam tollendam majores dabamus doses Tinct. ferri acetici (prodie ʒj) vel Ferr. jodat. (bihorio gr. j), deinde Vinum Madeir. vel Malac., jus e coctis carnibus, denique crudam carnem rasam et his similia. Neque mediocriter gavisi sumus diuresi semper fere aucta, tum digestione in melius mutata, deinde exsudationibus serosis undique diminutis, denique urina albumine carente.

VITA.

Natus sum **Carolus Mosler**, fidei addictus evangelicae, in vico Kranowitz, in Silesia superiore sito, die XV mens. Septbr. anni huj. saec. XXXI patre Joanne, matre Joanna e gente **Wothe**, quos jam mihi ereptos valde lugeo. Primis literarum elementis imbutus, Gymnasium Leobschuetziense, quod tum florebat directore **Kruhl**, adii. Autummo anni huj. saec. LII testimonio maturitatis instructus, in universitatem Viadrinam me contuli ibique ab Beat. **Henschel**, t. t. fasces tenente academicos civibus academicis adscriptus et apud Ill. **Barkow**, ordinis medicorum decanum, nomen professus, per duo semestria his interfui scholis:

Ill. **Braniss**: de logice et psychologia.
Ill. **Frankenheim**: de physica experimentali.
Ill. **Glocker**: de mineralogia.
Ill. **Gravenhorst**: de zoologia.
Ill. **Goeppert**: de botanice.
Ill. **Loewig**: de chemia anorganica.
Ill. **Barkow**: de anatomia corporis humani, de arte cadavera rite dissecandi, de historia foetus.
Cel. **Grosser**: de osteologia et syndesmologia.
Beat. **Henschel**: de encyclopaedia medica.

Tum autummo anni huj. saec. LIII almam Gryphiam petii, ubi a Beat. Berndt, t. t. rectore magnifico, inter cives acapemicos receptus apud Ill. Bardeleben, t. t. decanum medicorum ordinis spectabilem, nomen professus sum et per duo semestria hasce audivi lectiones:

Ill. Hünefeld: de chemia organica et analytica.

Ill. Münter: de botanice medica, eundemque in excursionibus botanicis sum secutus.

Ill. Haeser: de pathologia et therapia generali, de semiotice et diagnostice generali.

Cel. Laurer: de materia medica, de toxicologia, de arte fascias chirurgicas rite alligandi.

Exp. Bengelsdorff: de arte formulas medicaminum rite concinnandi.

Cel. M. Schultze: de anatomia comparata, de histologia.

Ill. Schultze: de anatomia corporis humani, de physiologia, de anatomia pathologica, de arte cadavera rite dissecandi.

Deinde Vratislaviam redii et ab Ill. Braniss, t. t. rectore magnifico, civibus acad. adscriptus nomen apud Beat. Henschel, ordinis medicorum decanum, rite professus per unum semestre his interfui scholis:

Beat. Remer: de syphilide.

Ill. Frerichs: de pathologia et therapia speciali, de morbis hepatis.

Ill. Middeldorpf: de morbis cutis.

Exp. Ruehle: de auscultatione et percussione, de secretionibus et excretionibus quibusdam pathologicis.

Ill. Betschler: de arte obstetricia, de operationibus obstetriciis.

Relicto iterum Silesiae capite, Gryphiam reversus, a rectore magnifico Ill. Beseler in civium acdemicorum numerum receptus et in album facultatis medicae ab Ill. Haeser inscriptus per tria semestria audivi disserentes:

Ill. Bardeleben: de chirurgia generali et speciali, de akiurgia, de ophthalmiatrice, de luxationibus et fracturis; idemque dux mihi fuit in operationibus chirurgicis in cadavere instituendis.

Cel. Eichstedt: de operationibus obstetriciis, de morbis infantum.

Exp. Pohl: de syphilide, de morbis organorum urogenitalium.

Exp. Haeckermann: de medicina forensi, de politia medica.

Ill. Haeser: de historia medicinae.

Ill. Niemeyer: de pathologia et therapia speciali, de morbis cerebri et medullae spinalis.

In clinico medico Ill. Frerichs, Ill. Haeser, Ill. Niemeyer, in clinico chirurgico Ill. Middeldorpf, Ill. Bardeleben, in clinico obstetricio Cel. Eichstedt duces mihi fuerunt praestantissimi. Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias ago quam maximas, inprimis autem Cel. Eichstedt, qui munus medici auxiliarii in instituto clinico obstetricio mihi tradidit, quo per annum functus sum. Non possum denique, quin Exp. Ziemssen, qui in conscribenda dissertatione adjumenta mihi attulit, libenter grato animo commemorem.

THESES.

I.

In omnibus affectionibus, quas auctores nomine hysteriae notant, semper uterus est explorandus.

II.

Menstruatio totius corporis muliebris neque solius uteri functio.

III.

In pyarthro curando punctionem facere non dubitandum.

IV.

Haemorrhoidum causa non semper plethora abdominalis, sed saepe affectio localis.